

Princeps mundi & effrenis monachus, nocere
nescit nebulo, cum fractus sit vel verbulo, quod sta-
bit & permanebit in aeternum. Schmalcaldia anno
1537. in conuentu nostrorum Principum, cum
de Concilio Mantua congregando spes à Pontifice
facta esset, Confessio Augustana denuo confirma-
tur, omnium subscriptione, & componuntur à
Luthero articuli, qui postea Schmalcaldici dicti
sunt, omnium manu & ipsi comprobati, & ut in
Concilio, si quod futurum esset, offerrentur, una-
nimi consensu delecti. Et cum labores suos con-
tinuasset quotidie, scribendo, concionando, prae-
legendo, consolando, consulendo, & prestando om-
nia, quae in hac vita homini, praesertim gubernato
diuinitus, possibile sunt, imò longe maiora & au-
gustiora, quam aliorum ingenia & humeri mille
ferre possunt, Deus uoluit eum tandem ad sese ex
hoc pistrino mundi, tanto patre, heroe & Duce in-
digni euocare, id quod anno 1546. die 13 Febru-
arij, Islebia in patria, die Constantiae & Concordiae
factum est, cum ipse maluisset, & sepiissime exopt-
asset, si Deo visum fuisset, martyrio se subijci, &
manibus Pontificijs, ut loqui solitus fuit, dilacera-
ri, dissecari, transfodi, cremari. Miserum me, in-
quit saepe, qui indignus iudicor martyrii corona. O
felices, qui propter Christi sanguinẽ, fundunt suum
sanguinem, & propter mortem Christi mori non ti-
mẽt. Sed & absq; ferro & flamma martyres esse pos-
sumus. Recitauit autem precationem ante obitum
in pra-